BERNARDUS CLARAVALLENSIS. NICOLAUS CLARAVALLENSIS. OGLERIUS DE LOCEDIO
Heiligenkreuz (?), Wende 13./14. Jh. (?) Seite 41v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift



oculos miseris inflecte peccantibus. nec saltem in perpetuum
obliuiscaris nos. Hec quidem iste. sed gemitibus et erumpnis intor
tus. tante presumpcionis sententiam abiurabat. Dixi inquit
custodiam uias meas. ut non delinquam in lingua mea. Sed
et ille uir nobilis profundi sermonis urbanitate perlucidus.
affectuosis excessibus incalescens. propter syon inquit non tacebo.
et propter ierusalem non quiescam. donec egrediatur ut splendor ius
tus eius. et saluator eius ut lampas accendatur. Vtinam ait
dirumpes celos et descendes. et alia multa que prolixitas fasti
diosa uetat inserere. Hic etiam morosioris gracie longinqui
tate suspensus. et nimietate doloris excedens. inpatienter obloquitur
dicens. Ecce gentes quasi non sint. sic sunt coram deo. quasi nichilum
et inane reputate sunt ei. Ieremias quoque in uocem gratulabun
de laudis aduerbio demonstrante prorumpens. ecce inquit fa
ciet dominus nouum super terram. mulier circumdabit uirum. Sed
tamen repentine subuersionis lacrimis edocetur. ut prius lamen
tum suscipiens quam aduentum penitus conticescat. Danieli dicitur.
Visio est in dies et in tempora longa. Et ezechiel tantis caliginibus
inuoluitur. ut inde dinosci possit unde ueniat. aut quo uadat.
Denique omnis ille conuentus prophetalis. longa tardantis gratie
morositate protensus. nunc rogando. nunc conquerendo uariat
oracionem. et plerumque sermonibus exhortacionis indignato
rios intermiscet. Nos quoque satis satisque eos audiuimus.
et nobis in fastidium relegunt. Iam fugiat moyses. impedi
cioris lingue siquidem factus est nobis. ysaie labia inmunda
erant. ieremias nescit loqui quia puer est. ezechiel pollu
to pane uescitur. osee fornicariam et adulteram duxit uxorem.